



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Theodosius Abb. 11. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

*da tectum, si Deum debitorem non Iudicem vis habere;
nihil nobis nocebit in terra, si nobis in calo misericordia
sit patrona. S.Pet.Chrys.42.*

S. THEodosius ABB. II.Ianuarii.

THEODOSIVM Cappadocem antrum ajunt incoluisse; rectius regiam dicerent: nam ad illud divertisse hospites primo itineris sui die tres Orientis Reges memorantur. Totus illi penus palma, cella fons fuit, deliciæ dactyli, herbæque, & lacrimæ. Interim fuit, cum centum & amplius mensas paucis panibus pasceret: alias, cum Martiani hospes esset, illeque panem sibi deesse quereretur, THEODOSIVS in barbâ Martiani granum hærere frumenti conspicatus, qui potes, inquit, queri, qui tot panes in barbâ circumfers? simul granum in granarium ablatum totum hoc complevit, & veluti angustias hujus accusaret, extra ostia se miraculumque effudit. Alias magno Paschatis die, cum nihil in cibum suppeteret, Numen THEODOSIO mulum submisit instructissimum cibariis, quâ re ille impulsus semper deinde egenis duplicavit pium stipendum. Jam mortis memoriam suis impensè commendavit. Eum in finem sepulchrum quandoque fieri iusfit, rogavitque ecquis eo tumulari vellet. Voluit Basilius quidam, qui mox suavissime excessit è vitâ, nec tamen in odeo sacro vel videri, vel audiri desiit. Prænobilis matronæ filio, dum inter pueriles ludos, lapsus in fontem cadit, absens THEODOSIVS, adfuit tamen spectabilis, &, ne aquis mergeretur innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militum Duci vicem loricæ fuit, & victoriam peperit. Sed & tibi contra hominem

stem intestinum victoriam spondeo, si simili utaris loricâ. Ex Surio.

Magnus *hujus* *vita* *solatium* *est*, *ut* *habeas*, *cui* *pectus* *tuum* *aperias*, *cum* *quo* *arcana* *participes*, *cui* *committas* *secreta* *cordis* *tui*; *ut* *ames* & *sequaris* *eum*, *qui* *tibi* *paternâ* *pietate* *in* *tristibus* *compatiatur*, *in* *per*-*secutionibus* *adhortetur*, & *in* *prosperis* *gratuletur*. S. Bern. tract. de Ord. Vit.

S. ARCADIUS M. 12.Ianuarii.

More Solis virtus hoc pulchrius nitet, quod diutiū latet. Testem ARCADIVM adduco. Hic s̄avientibus ubique terrarum in Christianos tyrannis, sive homo timore aliquo, sive CHRISTI mandato inductus, posthabitatis fidei fortunis omnibus, fugā se subduxit, & aliquandiu latebras habitavit. Sed nimirum ut vinceret fugit; ex latibulis suis velut insidiis hostem expectavit. Etenim cūm irruptione in domum factā, & non reperto ARCADIO, ad tribunal de amicis ejus quispiam rapetur, continuò adfuit; circumventum inexspectatō tyrannum graviterque increpitum jussit omnes pœnas in se experiri: aciem tormentorum instrueret tyrannus, ingenio etiam certaret, in auxilium alios etiam tyrannos evocaret, omnes in subsidiis carnifices constitueret: sese unicum contra omnia tormenta etiam nudum staturum, solā patientiā pugnaturum, ostensurumque eā dimicatione, quantum inermis Christianus omnibus minis, & tormentis armato tyranno præstaret. Desperavit jam tum judex de victoriā, & sententiam tulit, quā manibus ac pedibus mutilari ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cælo oculis inter diuinās laudes, supplicii locum magnanimus petiit,